



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

Antipharmacum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40295**

*Antipharmacum.*

Ex hoc sequitur nullum prædicantem cœnare posse, nisi præsentem alio Prædicante, à quo cœnam accipiat: nisi fortè Prædicans, quando solus & absque vlllo Symmysta, vt fit in pagis & oppidis innumeris, cœnam non ipse sibi in os ingerit, sed ab ædituo, aut rustico honoratiore accipit: hoc enim necessario faciendum est, si Lutheri doctrina pro vera accipitur; quandoquidem vt infans seipsum baptizare, sic & vnus solus cœnam sumere nequit. Quam autem hæc concinant cum illis, quæ iam supra ex Luthero, præsertim ex libro de Missa priuata attulimus, quilibet paulò consideratior, etiam absque meo admonitu, intelligit.

*De suscipientibus Eucharistiam.*

QVÆRITVR num ægrotis, & qui publicos Ecclesiæ conuentus adire nequeant, cœna sit administranda.

Respondet Lutherus in Colloq. Lat. Tom. 2. Tit. de cœna. *Ego quotidie mecum considero & cogito, qua ratione priuatam illam infirmorum communionem abrogare possem. Quod igitur Lutherus efficere decreuerat, hoc postea gnauiter effecerunt Calvinistæ, Quidam enim cœnam ægrotis concedunt, sed ita, vt adsit cæuis aliquis simul communicantium quem modum indicauit Lutherus in Colloq. Lat. loc. cit. optabat enim, vt ægroti cogerentur talem seruare modum, quem ego infirmus seruauit, inquit: vbi cum aliis pluribus fiat communio.*

Alij tam morosi ac difficiles sunt, vt ne hac quidem conditione ægrotos cœnare patiantur: quia vt Beza dicit, Quæst. 241. *videtur, nescio quomodo cum institutione cœna Domini pugnare, vt tota cessante reliqua Ecclesia domus*